



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 76. Vtrum actus, & habitus supernaturales virtutum differant ex obiecto formali ab actibus, & habitibus naturalibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

supernaturales; sed debet mereri præmium, supernaturale, non solum per actus theologicos fidei, spei, & charitatis, sed etiam per actus morales iustitiæ, temperantiæ &c; ergo debet accipere non solum virtutes theologicas, sed etiam morales.

9. Respondent Scotistæ, quod vt homo iustus mereatur præmium supernaturale per actus morales iustitiæ &c. non requiritur, vt tales actus sint supernaturales intrinsecè, & essentialitè, sed sufficit, vt sint supernaturales extrinsecè per denominationem ab actibus virtutum theologiarum.

10. Sed contra: nam sicut actus theologici fidei, spei, & charitatis debent esse supernaturales intrinsecè, & non sufficit, quod sint supernaturales extrinsecè per denominationem à gratia; sic actus morales, vt mereantur præmium supernaturale, debent esse supernaturales intrinsecè, & non sufficit, vt sint supernaturales extrinsecè per denominationem ab actibus theologis.

11. Ad primū nego antecedens. Iam enim assignata est necessitas ponendi vltra virtutes theologicas virtutes morales per se infusas.

12. Ad secundum respondeo primo argumentum soluendum etiam esse ab aduersarijs. Nam ad diligendum proximum, sicut nos ipsos, obligamur duplici præcepto, altero naturali, altero supernaturali charitatis; ergo qui peccat non diligendo proximum sicut se ipsum, faceret duo peccata.

13. Respondeo secundo, distinguo antecedens: darentur duo præcepta iustitiæ præcipientia, vel prohibentia idem, concedo; præcipientia, vel prohibentia virtualiter diuersa, nego: distinguo eodem pacto primum consequens, & antecedens assumptum, & nego consequentiam. Cum per vnam actionem sit contra plura præcepta prohibentia virtualiter diuersa, sunt plura peccata; ex. gr. cum aliquis furatur calicem consecratum, committit duo peccata, alterum furti contra præceptum iustitiæ dicens, *ne accipias rem alienam*; alterum sacrilegij contra præceptum religionis dicens, *ne violes res sacras*, quæ præcepta prohibent duo virtualiter saltem diuersa, & ex sua ratione separabilia, nimirum acceptionem rei alienæ, & violationem rei sacræ. At cum sit contra plura præcepta præcipientia, vel prohibentia idem omnino, non sunt plura peccata, sed vnum tantum; sed duo præcepta iustitiæ naturalis, & supernaturalis vt plurimum præcipiunt, & prohibent idem omnino: præcipiunt enim, vt tribuamus vnicique id, ad quod habet ius, & prohibent, ne faciamus contra ius alterius; ergo licet fiat contra duo præcepta, sit vnicum peccatum. Si autem aliquando præcipiantur, vel prohibeantur virtualiter diuersa, & hoc aduertatur, sicut duo peccata, quæ tamen regulariter in confessione non debent distingui, quia explicata actione materiali, vtrumque peccatum satis intelligitur.

14. Ad tertium, concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem distingo minorem; virtutes supernaturales non possunt recipi adæquatè in appetitu sensitivo, concedo; partialiter, nego. In Tractatu de iustitia, & iure dicam temperantiam, & fortitudinem naturalem inchoatiuè recipi in voluntate, perfectiue in appetitu sensitivo. Proportionaliter existimo temperantiam, & fortitudinem supernaturales, & per se infusas inchoatiuè recipi in voluntate, perfectiue, & secundum vltimum complementum in appetitu sensitivo. Neque est absurdum, quod habitibus spiritualibus, & supernaturalibus animæ corresponderent in parte corporea, & materiali aliqui habitus supernaturales materiales; siquidem in beatis, habitibus purè spiritualibus, & supernaturalibus animæ corresponderent dotes supernaturales, & materiales corporis gloriosi, & in statu innocentie appetitus sensitivus per aliquem habitum supernaturalem erat perfectè subiectus rationi.

15. Ad 4. distingo maiorem; ideo fides, spes, & charitas distinguuntur inter se, quia habent aliquam separabilitatem, ita vt separabilitas sit ratio sufficiens distinctionis, concedo; ita vt separabilitas sit ratio vnica, & necessaria distinctionis, nego; concedo minorem; & nego consequentiam. Separabilitas est ratio sufficiens, non tamen necessaria distinctionis; nam etiam quæ sunt naturaliter inseparabilia possunt distingui, eo pacto, quo quantitas, & materia prima licet sint mutuo inseparabiles, distinguuntur; ergo etiam charitas, & virtutes morales licet sint mutuo inseparabiles, possunt, ac debent distingui, quia habent diuersum obiectum formale. Diuersitas autem obiecti formalis, sufficit ad distinguendas virtutes.

QVÆSTIO LXXVI.

Virum actus, & habitus supernaturales virtutum differant ex obiecto formali ab actibus, & habitibus naturalibus?

1. Videtur vera sententia Scotistarum, & aliorum; qui dicunt actus naturales, & supernaturales virtutum non distingui ex obiecto formali; primo quia obiectum formale actus iustitiæ naturalis ex. gr. est honestas tribuendi vnicique id, ad quod habet ius; sed hoc idem est obiectum formale actus iustitiæ supernaturalis; ergo &c.

2. Secundo si dicatur cum P. Vasquez 1.2. disp. 86. cap. 5. & seq. actum naturalem iustitiæ habere pro obiecto formali honestatem naturalem tribuendi vnicique ius suum, vt cõcui huius mundi, & in ordine ad communicationem naturalem; actum supernaturalem iustitiæ habere pro obiecto formali honestatem

tem supernaturalem tribuendi unicuique ius suum, ut conciuui supernaturali reipublicæ, seu ciuitatis supernaturalis, in ordine ad finem, & felicitatem supernaturalem: contra est, quia honestas tribuendi unicuique ius suum, amico, vel inimico, consanguineo, vel extraneo, non differunt intrinsicè, & formaliter, sed solum extrinsicè, & materialiter; ergo honestas tribuendi ius suum conciuibus naturalibus huius mundi, vel conciuibus supernaturalibus alterius mundi, non differunt intrinsicè, & formaliter, sed solum extrinsicè, & materialiter, ac proinde iustitia naturalis, quæ tribuit ius suum ciuibus huius mundi, non differt ex obiecto formali à iustitia supernaturali, quæ tribuit ius suum conciuibus supernaturalibus in ordine ad felicitatem aternam.

3. Tertio licet actus supernaturalis iustitiæ beatorum habeat pro obiecto formali honestatem tribuendi unicuique ius suum, in quantum talis honestas decet beatos; actus supernaturalis iustitiæ viatorum, habeat pro obiecto formali honestatem tribuendi ius suum, in quantum talis honestas decet viatores, tamen iustitia infusa beatorum non differt ex obiecto formali à iustitia infusa viatorum; ergo à pari.

4. Quarto hæreticus formalis discredens vnum articulum, & credens alios, credit illos fide merè naturali, ut docent communiter Theologi in tractatu de fide; ergo hæreticus formalis posset fide merè naturali credere, nos esse eleuatos ad finem supernaturalem, & esse ciues, ac domesticos Dei; ergo ex hac fide merè naturali posset exercere actum merè naturales iustitiæ, quo velit tribuere unicuique ius suum, quia honestum est tribuere unicuique ius suum, honestate decente ciues, & domesticos Dei, & conducente ad finem supernaturalem; sed talis actus iustitiæ naturalis habebit idem obiectum formale, ac actus iustitiæ supernaturalis, & infusæ elicitus à catholico; ergo actus iustitiæ naturalis posset habere idem obiectum formale, ac actus iustitiæ infusæ, & supernaturalis; ergo etiam habitus.

5. Respondeo, quod quia bonitas obiecti formalis non mouet, nisi ut cognita, sicut bonitas voluntatem mouet *ut quod*; sic cognitio bonitatis dicitur mouere *ut quo*. Hinc sequitur obiectum formale, ut proximè motiuum simul *ut quod*, & *ut quo*, ultra bonitatem cognitam, includere etiam cognitionem. Certum est igitur obiectum formale, ut proximè motiuum virtutis supernaturalis, & infusæ, non posse esse omnino idem cum obiecto formali, ut proximè motiuo virtutis naturalis. Ratio est, quia obiectum formale, ut proximè motiuum includit cognitionem, quæ mouet *ut quo*; sed cognitio mouens ad actum supernaturalem virtutis infusæ debet esse supernaturalem, cum ad actum supernaturalem requiratur supernaturalis illuminatio, & inspiratio

Spiritus Sancti, quæ illuminatio consistit in cognitione, qua ut loquitur Augustinus, *operaret quod latebat*; sicut inspiratio consistit in complacentia, qua, ut loquitur idem, *suauis fit, quod non delectabat*; ergo ad actum supernaturalem requiritur supernaturalis cognitio mouens *ut quo*, quæ cognitio supernaturalis non mouet ad actum naturalem.

6. Hoc posito, quæritur, vtrum obiectum formale motiuum *ut quod* virtutis infusæ possit esse omnino idem, ac obiectum formale motiuum *ut quod* virtutis naturalis, an potius semper debeat esse partialiter diuersum?

7. Dicendum cum Sancto Thoma in questione 109. artic. 3. ad 1. & 2. 2. quæstionum artic. 4. in Corp. quem præter Thomistas sequuntur Suarez lib. 2. de Gratia, cap. 6. & §. 10. & lib. 6. cap. 9. Vasquez 1. 2. disput. 1. cap. 6. & plures alij; virtutes supernaturales & infusæ habent diuersum saltem partialiter obiectum formale, ac virtutes morales.

8. Probatur; nam honestas supernaturalis est diuersum obiectum formale, ac honestas merè naturalis; sed virtutes supernaturales infusæ habent pro obiecto formali honestates supernaturales, virtutes naturales habent pro obiecto formali honestates naturales; ergo &c. Probatur minor; nam honestas conduens ad finem supernaturalem est supernaturalis, honestas conduens ad finem naturalem debet esse naturalis, siquidem media debent esse proportionata fini; sed virtutes naturales habent pro obiecto formali honestates conduentes ad finem naturalem, virtutes supernaturales habent pro obiecto formali honestates conduentes ad finem supernaturalem; ergo &c. Probatur minor; nam consideratione honestatis sit, ut conducat ad finem, virtus eo ipso, quod amat aliquam honestatem, amat illam ut conducentem ad finem; ergo virtus naturalis, quæ ordinatur ad finem naturalem, amat proportionatè honestatem, ut conducentem ad finem naturalem; virtutes supernaturales, cum ordinantur ad finem supernaturalem, amant suam honestatem, ut conducentem ad finem supernaturalem, adeoque virtutes supernaturales habent pro obiecto formali honestates supernaturales, virtutes naturales habent pro obiecto formali honestates naturales. Iustitia igitur supernaturalis ex gr. per se amat, intendit honestatem tribuendi unicuique ius suum, in quantum talis honestas conducat ad finem supernaturalem; iustitia naturalis per se amat, & intendit honestatem tribuendi unicuique ius suum, in quantum talis honestas conducat ad finem merè naturalem. Ideo proportionatè dicitur de temperantia, fortitudine, alijsque virtutibus.

9. Hæc doctrina, & ratio desumpta est a Sancto Thoma 1. 2. quæstione 63. artic. 4. in Corp. vbi sic dicit. *Alio modo habitus distinguuntur specie secundum ea, ad quæ ordinantur.*

non eadem est species sanitas hominis, & equi propter
diversas naturas, ad quas ordinantur; & eodem mo-
do dicit Philosophus tertio Polit. cap. 3. quod diversæ
sunt virtutes civium secundum quod bene se habent
ad diversas politicas; & per hunc modum differunt
specie virtutes morales infuse, per quas homo bene se
habet in ordine ad hoc, quod sunt civis Sanctorum,
& domestici Dei, & aliæ virtutes acquisite, secun-
dum quas homo bene se habet in ordine ad res huma-
nas. Hactenus S. Thomas, Videri possunt
Cajetanus in Comment. Suarius, & Vasquez
locis citatis.

10. Addit S. Thomas loco citato, quod
licet temperantia naturalis, & supernaturalis
ex. gr. consistant in hoc, vt ponant debitum
modum mediocritatis in cibo, & potu, ta-
men diversus modus, ac diversæ mediocritas
ponitur à temperantia naturali, diversæ à
temperantia supernaturali. Ratio est, quia
temperantia naturalis ponit modum in cibo,
& potu in ordine ad finem naturalem conser-
vandi vitam, & sanitatem, & non impediendi
rationem, & operationes mentis; tempe-
rantia autem supernaturalis ponit modum
in cibo, & potu in ordine ad corpus edoman-
dum, & carnem spiritui perfecte subijciend-
dam: sed diversus modus est ponendus in or-
dine ad tales fines; siquidem ad finem edo-
mandi corpus, & carnem spiritui perfecte
subijciendam, ponenda est maior abstinentia
à cibo, & potu, aliisque delectabilibus sensi-
bilibus, quam ad finem naturalem conseruan-
di sanitatem, & vitam, & non impediendi
operationes mentis; ergo &c. Quod diximus
de temperantia, proportionaliter dicendum
est de alijs virtutibus, præsertim ponentibus
modum passionibus, & concupiscentiis.

11. Ad primum, distingo maiorem:
obiectum formale iustitiæ naturalis est hone-
stas purè naturalis tribuendi vnicuique id, ad
quod habet ius, concedo; honestas superna-
turalis, nego; distingo eodem pacto mino-
rem; & nego consequentiam, ac retorqueo
argumentum. Honestas enim naturalis, &
supernaturalis differunt specie; ergo obiecta
formalia iustitiæ naturalis, & supernaturalis
differunt specie.

12. Ad secundum, distingo antecedens;
honestas tribuendi ius suum amico, vel ini-
mico, consanguineo, vel extraneo non dif-
ferunt intrinsecè, & formaliter in ratione ho-
nestatis iustitiæ, transcat: in ratione honesta-
tis alterius virtutis, nego; & nego conse-
quentiam. Honestas tribuendi ius suum
amico, vel inimico, consanguineo, vel ex-
traneo non differunt intrinsecè, & formaliter
in ratione honestatis iustitiæ, quæ solum est
honestas tribuendi vnicuique ius suum; at
differunt formaliter in ratione honestatis alte-
rius virtutis, puta amicitia, quæ intendit ho-
nestatem tribuendi id, quod debetur amicis
&c. Ac honestas tribuendi ius suum conciu-
ibus naturalibus, vel supernaturalibus diffe-
runt intrinsecè, & formaliter in ratione ho-

nestatis iustitiæ naturalis, vel supernaturalis,
quæ rationes naturalis, vel supernaturalis non
significant speciem virtutis, sicut amicitia si-
gnificat speciem virtutis, sed solum signifi-
cant differentias diuisivas virtutum, tum na-
turalium, tum supernaturalium, & constitu-
tuas specierum virtutum supernaturalium, &
naturalium.

13. Ad tertium concedo antecedens, &
nego consequentiam. Disparitas est, quia
honestas, quæ decet hominem, in quantum
iam possidet beatitudinem, non est diversa
specie ab honestate, quæ decet hominem,
in quantum ordinatur ad beatitudinem obti-
nendam, licet illam adhuc non possideat, cum
utraque sit honestas in ordine ad eundem fi-
nem beatitudinis supernaturalis; ergo non
constituunt obiectum formale specie diuer-
sum, nec specificant diversam virtutem. At
honestas decens hominem, in quantum ordi-
natur ad finem supernaturalem, est diversa
specie ab honestate, quæ decet hominem, in
quantum ordinatur ad finem naturalem; ergo
constituit obiectum formale specie diuersum,
& specificat virtutes supernaturales specie di-
versas à naturalibus.

14. Ad quartum; dum diximus iustitiam
infusam, eiusque actus habere diuersum obie-
ctum formale, ac iustitia acquisita, & eius
actus, loquuti sumus de iustitia acquisita phi-
losophica, de qua loquuti sunt Aristoteles, &
Philosophi, quæ fundatur in sola ratione na-
turali, non autem in doctrina diuinitus reue-
lata; sed iustitia hæreticorum, de qua loqui-
tur argumentum, non fundatur in ratione
purè naturali, sed in reuelatione diuina; ergo
hactenus non sumus de ea loquuti, sed de ip-
sa agemus quæstione sequenti, in qua exami-
nabimus, yrum actus entitatiuè naturales, &
supernaturales possint non differre ex obiecto
formali.

QVAESTIO LXXVII.

*Verum actus naturalis possit habere obiectum
formale supernaturale, et actus su-
pernaturalis possit habere obie-
ctum formale purè na-
turale?*

1. **V**idetur actus naturalis posse habere
obiectum formale supernaturale, etiã
cognitum vt supernaturale: primo quia Deum
esse bonitatem supra omnem bonitatem, &
supra omnem naturam creatam, & creabilem,
est Deum esse bonitatem supernaturalem: sed
lumine naturali possumus cognoscere Deum
esse bonitatem supra omnem bonitatem, &
supra omnem naturam creatam, & creabilem;
ergo lumine naturali possumus cognoscere
Deum esse bonitatem supernaturalem: sed
bo-